

aut aperte Christum reiicientis aut non curatis agnoscere, tota nititur in amore sui, caritatis expers, devotionum nescia. Imperet quidem homo, per Iesum Christum licet : sed eo, quo solo potest, pacto, ut primum omnium serviat Deo, eiusque ab lege norman religiose petat disciplinamque vivendi.

Legem vero Christi dicimus non solum præcepta morum naturalia, aut ea quæ accepere antiqui divinitus, quæ utique Jesus Christus omnia perfecit et ad summum adduxit declarando, interpretando, sanciendo : verum etiam doctrinam eius reliquam, et omnes nominatim ^{ad} eo res institutas. Quarum profecto rerum caput e^c. Ecclesia : immo ullaene res numerantur Christi auctore institutae, quas non illa cumulate complectatur et contineat ? Porro Ecclesiae ministerio, præclarissime ab se fundatae, perennare munus assignatum sibi a Patre voluit : cumque ex una parte præsidia salutis humanae in eam omnia contulisset, ex altera gravissime sanxit, ei ut homines perinde subessent ac sibimetipsi, eamdemque studiose et in omni vita sequerentur ducem : *qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit* (14). Quocirca omnino petenda ab Ecclesia lex Christi est : ideoque via homini Christus, via item Ecclesia : ille per se et natura sua ; haec, mandato munere et communicatione potestatis. Ob eam rem quicumque ad salutem contendere seorsum ab Ecclesia velint, falluntur errore via, frustaque contendunt.

Quae autem privatorum hominum, eadem fere est. caussa imperiorum : haec enim ipsa in exitus perni-

(14) Luc. x, 16.